

MEISNE  
1019  
OLL  
NIEN-





Hunc librum Musis  
suis inservientem  
iure possidet  
Theodor Mahlmann

Comparati mihi  
Witzeb.  
p. mat. 12. q.  
p. hinc. 4. q.  
Al. Joh. Reibel.  
1624.



CHRISTOLOGIAS SACRÆ

Disputatio Trigesima Tertia,

De

ANNIS MINISTERII

ET

Toto CHRISTI CURRICULO,

Quam

Annunte Θεωρεώμεθα

SVB PRÆSIDIO

Dn. BALTHASARIS MEISNERI

S. S. Theol. D. & P. P.

*In privato Collegio ad disputandum*  
*proponit*

ANTONIUS LINDEMANNUS  
Lubecensis.

*Habebitur ad diem 7. Novemb. horis pome-*  
*ridianis*

In auditorio minori.

WITEBERGÆ

*Johannes Gorman excudebat,*

Anno cl. lo CXIX.



CHRISTOLOGIAS SACRAS  
Dissertatio Triclinia Tertia  
De  
ANNIS MINISTERII

ET  
TOTO CHRISTI CURRICULO

Quam  
Annuntio Evangelica  
Suo Praesidio  
Dr. BALTHASARIS MEISNERI  
S. S. Theol. D. & C. P.

In privata Collegio ad h. s. studium  
Antoniis Lindemannis

Habebitur ad hunc 7. Nobis d. d. d. d.  
in a. d. d. d. d. d. d.

WITTEBERGAE  
Johannis Gorenz  
Anno d. d. d. d. d. d.



## CONTINUATIO.

**D**E Ieiunio & Domini nostri Iesu Christi tentatione in deserto facta, in superiori egimus disputatione; quod nimirum Filius DEI, cum vix ministeriū ingressus esset, ingens adierit duellum: non cum rege Herode, qui capitali odio ipsum in infantia ejus prosequabatur, ita ut patriam relinquere, & in Egyptum tanquam exul fugere cogeretur, Matth. 2. v. 14. Neq; cum Phariseis & populi primatibus, qui semper ipsum oppugnarunt & doctrinæ ejus contradixerunt, uti ab Evangelistis passim declaratur, sed cum Principe mundi, Ioh. 14. v. 29. cum Principe potentiaë aëris, Ephes. 2. v. 2. cum nostro adversario, 1. Pet. 5. v. 8. cum Diabolo, Matth. 4. v. 1. quem tandem vicit, & foras eiecit, Ioh. 12. v. 31. Hæc victoria à Iesu Christo obtena, & nobis in maximis & periculosis tentationibus spem protulit fortissimam: cum Dux Hebr. 12. v. 2. & triumphator noster factus sit contra fortem istum armatum, Luc. 11. v. 21. Rectè igitur Ambrosius, Victoria Domini est triumphus servi. Cum verò plus quàm satis in præcedenti de his audiverimus, ad sequentem progredi disputationem ordo nos monet: quæ de annis ministerij, totoq; Christi agit curriculo, quod hisce quinq; capitibus declarabimus, quorum in primo Ministerij naturam attingemus. In secundo annorum tempus perpendemus: in tertio causam impellentem dicemus: in Quarto finem jungemus: in Quinto effectum excolemus.



Christe ministerii inceptor ductorq; ministerium  
Nostra tuo sancto Numine corda rege.

T H E S I S I.

Primum hoc caput, de natura ministerij multas  
Papistarum controversias nobis demonstrat; qua-  
rum duas tantum recensuimus. 1. An Christi mi-  
nisterium cum regimine Politico & quadam Mo-  
narchia papali conjunctum fuerit? 2. An post vi-  
sibile Christi ministerium Petrus caput totius Ec-  
clesie & Princeps loco Christi sit constitutus?

II. Primam hanc quod attinet questionem, sine  
ullo dubio Christus suam in hoc terrarum orbe ga-  
bernavit Ecclesiam: quod verò talem Monarchi-  
am, qualem venditat Romanus Papa, Christi sci-  
licet Vicarius, inceptor, planè rejicimus. Christus  
enim non mundanum, sed cœleste habet regnum,  
ut ipse dicit Ioh. 18 v. 36. Regnum meum non  
de hoc mundo; si de hoc mundo esset,  
ministri mei certassent. Ex quo dicto judicare  
possumus optimè, magnam esse diversitatem inter  
Christi & Pontificis regnum; unde sic argumen-  
tamur: Regnum Christi est spirituale, & non de  
hoc mundo. Regnum Papæ non est spirituale, sed  
mundanum & de hoc mundo. Ergo regnum Pa-  
pæ non est regnum Christi. Major ex citato loco  
Ioh. 18. prolata est. Minor rursus hoc syllogismo  
probat: Quicumq; jus donandi & gubernandi  
totas regiones sibi vindicat, is mundanum possidet  
regnum. Sed Papa tale jus sibi vindicat. Ergo.  
Unde penè sequitur, quod nec Christi discipulus,  
multo



multò minùs istius Vicarius nominari queat. Nam discipuli Christi humiles, nō superbi audire volunt, Rom. 12. v. 16. Non arroganter de vobis ipsis sentientes, sed humilibus vos accommodantes; ne sitis arrogantes apud vosmet ipsos. Ministri non domini Matth. 20, 25. Marc. 10. v. 42. Luc. 22. v. 25. Reges gentium dominantur iis, & qui potestatem habent super eas, benefici vocantur. Vos autem non sic. Spirituales, non mundani; Ioh. 15. v. 19. Et si de mundo fuissetis, mundus quod suum est, diligeret: sed non fuistis de mundo. Ego enim elegi vos ex mundo; propterea odit vos mundus. Hic satis videmus, quàm magna inter Christi & Papæ regnum differentia sit. Firmissima ergò est conclusio nostra: Christum more Papali monarcham non fuisse; sed quantum cœlum ab infimis terrarum partibus distat, tantùm inter utrumq; discrimen intercessisse, & adhuc intercedere.

III. Deinde Apostolum Petrum, tanquam totius Ecclesie caput, & omnium ministrorum principem, loco Christi ab ipso Christo esse constitutum, Papicolæ blaterant, & tribus hoc rationibus confirmare conantur. 1. ex duobus locis Evangelij Matthæi 16. v. 18. Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo meam Ecclesiam. Et Ioh. 21. v. 16. 17. 18. Petre diligis me, pascere agnos meos, pascere oves meas. Concludunt ex his Scripturæ dictis Pontificij. Ergo principatus totius Ecclesie Pe-



tro est commissus; sed quando ipsum textum intue-  
mur, tunc sensus longè alius apparebit. Christus  
enim in precedentibus examen instituens, qua-  
estionem movebat, sibi ut discipuli dicerent, quem-  
nam se esse putarent? Huic interrogationi Petrus  
suo & fratrum nomine respondit; Tu es Chri-  
stus Filius DEI viventis. Super hanc petram  
aedificat Ecclesiam suam Christus, cum aliud fun-  
damentum nemo possit ponere, præter  
hoc, quod positum est, quod est Jesus Chri-  
stus, I. Cor. 3. v. 10. Hic autem non persona, sed  
confessio Petri est fundamentum illud, cui inni-  
titur Ecclesia. Si Christi Ecclesia supra personam  
Petri aedificata esset, tunc certè malè stetit, cum  
ille Christum abnegaret, & insuper abjuraret.

IV. In altero dicto Ioh. 21. Christus oves & agnos  
pascere Petrum iussit, ministerio Evangelij; quod  
ipsum tamen non soli Petro commissum est, sed  
reliquis etiam Apostolis; imò & omnibus sinceris  
Evangelij ministris. Cum igitur pascere gregem  
Domini non soli Petro, sed omnibus Ecclesie mi-  
nistris comperat; non potest Pontifex Romanus ex  
eo, quod Christus Petrum iussit pascere oves, pro-  
bare, quod princeps Apostolorum, & per conse-  
quens Pontifex, tanquam successor Apostoli Petri,  
fuerit summus Monarcha Ecclesie in his terris  
constitutus.

V. Secundo, Petrum principem Apostolorum Pon-  
tificij nominant, quia multa privilegia, & præro-  
gativas habuit præ alijs. Hic Theologi distinguunt,  
& pri-



*& Primatum esse duplicem dicunt; 1. Ordinis, quando multi in officio & potestate pares sunt, unus tamen eorum primum tenet locum, & reliquos præcedit, ut ita inter istos loci & sessionis ordo servetur. Hoc sensu Apostolum Petrum reliquorum fuisse principem, sancti Patres sæpè testantur, & à nobis facile concedi potest. 2. Jurisdictionis, quando unus non modò primum tenet locum, sed & alios sibi habet subjectos, qui etiam ab ipso dependent, ejus judiciis acquiescunt, & sine ipsius voluntate nihil suscipiunt. Talem primatum super Apostolos Petrum nec habuisse, nec unquam exercuisse, sed omnes pari honore & dignitate fuisse præditos, piè credimus, constanter docemus, & multis argumentis firmiter demonstrare possumus. 1. Quia Scriptura silentio id præterijt. 2. Quia Petrus eodem modo, ut alij Apostoli, ablegatus est, Act. 8. v. 14. 3. Quia Judæi cum ipso expostularunt, Act. 11. v. 2. 4. Quia unanimiter controversias deciderunt, Act. 15. vers. 5. 5. Quia omnibus Apostolis communis fuit inspectio, Gal. 1. v. 1. 6. Quia Paulus ipsi restitit, eò, quòd reprehensus esset, Gal. 2. v. 11. 7. Quia Petrus ipse dominium adversus Apostolos prohibuit, 1. Pet. 5. v. 3. 8. Quia pares fuerunt dignitate, 2. Cor. 12. v. 11. 9. Quia in Apostolo Paulo longè præstantiores emicuerunt prerogative, quàm in Petro.*



VI. Tertiò. Idem apertissimis tam Latinorum, quam Græcorum testimonijs probare volunt. Sed cum reclamet tota Scriptura, quid istorum auctoritas adversus DEVM prætenditur? Firmiter ergo ex his probatum, nec Apostolum Petrum fuisse principem Apostolorum, nec Papam successorem Petri nominari posse.

CAP. II.

VII. Sequitur nunc capitulum secundum de annis ministerij. Passim in sacra Scriptura declaratur, quando nimirum ministerium à Christo inchoatum, & quando absolutum describitur. Baptizatio Christo tunc ferme triginta habuit annos, quod Lucas testatur cap. 3. v. 23. Mox dein post Baptismatis actionem incepit Christus docere & miracula edere, ut in Actis cap. 1. v. 21. & 22. extat. Toto, inquit apostolus Petrus, tempore, in quo ingressus & egressus inter nos est Dominus Jesus, incipiens à Baptismo Johannis usque ad illum diem, quo sumptus est à nobis. Et Actor. 10. v. 32. Incipiens à Galilæa post Baptismum, quem prædicavit Johannes, ut ipsum Nazarænum unxerit Deus Spiritu sancto & virtute, qui obambulavit benefaciendo & sanando omnes oppressos à Diabolo.

VIII. Sed magna & quidem inter nonnullos præclaros Theologos est controversia de certo tempore, quod intervenit à Christi Baptismate usque ad diem ascensionis, & quomodo istud in certos distribui possit annos. Fusc Chemn. in proleg. Harm. hic expli-



explicuit: nobis non tam latè narrare licitum est,  
sed brevibus ea, quæ Chemn. proposuit, percurren-  
da sunt. Primum, Vulgarem opinionem et-  
iam apud vetustissimos fuisse, inquit,  
omnia illa dicta & facta, quæ in Evange-  
lica historia, à Baptismo Christi usque ad  
passionem ejus describuntur, unius tan-  
tum anni spatio esse comprehendenda.  
Hujus opinionis assertores & rationes Chemn. in-  
dicat, inter quos non ultimus est Tacianus Apostata  
olim Iustini Martyris discipulus, qui acriter hanc  
opinionem defendere in Harm. suâ studuit, ita ut  
omnia acta publici ministerij Christi, intra curri-  
culum unius anni conclusit, & distincta ista festa  
Paschasos Ioh. 2. v. 13. & cap. 6. v. 4. unico istis  
quod Matth. 26. v. 2. describitur, conjunxerit.  
Hunc deinde etiam secutus Tertullianus in lib. con-  
tra Iudæos, qui Christum esse passum eodem anno,  
quo publicum inchoaverat ministerium, palam  
protulit, & hoc ex Chronographia probare voluit,  
ubi ostendit Christum esse mortuum anno Tiberij  
decimo quinto. Eidem sententiæ Augustinus in  
lib. 18. de civitate Dei, cap. 54. assentiri videtur.  
Horum etiam opinionem lib. 10. Stromatum Cle-  
mens Alex. fovet, hasq; confirmat dicto Esaie 61.  
v. 2. Alogiani enim dixerunt, se malle potius  
Johannem Evangelistam rejicere, quam  
ab hac sententiâ de unico anno ministerij  
discedere, teste Epiphanio.

IX. Nos autem omnes istos istorumq; affectas reji-  
cimus.

A S

cinus.



timus, ordinemq<sup>3</sup> istum, quem Iohannes Evangelista in suo observavit Evangelio, imitatur. Distinxit ille tempus ministerij Christi in tres certos annos, cum aliquot Paschata numeravit, quae in tempus ministerij Christi inciderunt. Primum scilicet, quod describitur Iob 2. v. 13. post miraculum in Cana editum. Alterum quod describitur Iob. 5. v. 1. de quo tamen festo magnum fuit & est certamen, tam apud priscos, quam apud recentes. Chrysostomus, Cyrillus & Epiphanius hoc secundum festum (cujus fit mentio Iob. 5. v. 1.) non volunt esse Pascha, sed Pentecosten, quibus sese merito opposuit Chemn. Nos non negamus, inquit in praefatione Harm. singulos annos inter unum Pascha & proximè sequens, habuisse alia plura festa juxta Legem: sed quia cujuscunque festi tempora certo notata sunt Levit. 23. v. 56. & seq. Deut. 16. v. 1. Facile quid sentiendum sit colligi poterit. In precedenti capite v. 35. dicitur, Christus rursus ex Iudaea in Galileam venisse, ante sequens festum, cujus in sequente Evangelista meminit capite. Expressè enim ponitur, quod Christus discipulis suis dixerit, adhuc quatuor menses sunt, & messis veniet: tam verò in ista regione duae erant messes intra Pascha & Pentecosten; hordeacea scil. & triticea: quae finito paschate inchoata & circa Pentecosten absoluta sunt.

X. Cum autem istae duae messes instarent, quae ex quarto capite possunt probari; necessario sequitur,



tur, hoc non aliud fuisse festum quàm Paschatis: cum Israëlita à Domino erant iussi, Exod. 34. v. 22. Levit. 22. v. 10. Manipulum frugum afferre & primitias Messis triticeæ sacerdoti, qui agitabit manipulum istum frugum coram Jehovah. Hoc verò est factum die 16. mensis Abib, qui dies est à Paschate secundus, nam decimo quarto die Abib Iudæi Pascha celebrarunt, cum eodem die exissent ex Ægypto, Exod. 13. v. 4. Rectè igitur jam concludimus, hoc festum non posse esse Pentecosten, quæ proximè primo anno Christi ministerij secuta sit: seu secundum sui: Pascha, quòd si primo Paschati adjungeretur, totum constitueret annum, quem Christus in ministerio absolvit. Multa alia possent huc referrì sed remittimus attentum lectorem ad Harm. Chemn. qui de his egit prolixius. XI. Nunc tertium sequitur Pascha, quòd describitur Ioh. 6. v. 4. Hoc tertium solenne festum secundum ministerij Christi annum demonstrat, simul & probat Christum jam duos annos suo persundetum esse officio. Quartum Pascha Ioh. 13. v. 1. describitur, in quo Christus cruci affixus est, & tertium implet annum. Vltimum hoc festum ab Irenæo omissum esse recenset Chemnitius. Tertio n. in quo Christus miraculum quinq; panum edebat. Irenæus arbitratus est, ipsum esse cruci fixum, sed inconsideratè Irenæum ex geminis istis festis diversorum annorum unum effecisse, apertum est. Duo enim intra Pascha, Ioh. in cap. 6. v. 4. & inter illud Pascha, in quo Christus crucifixus est in-

ter-



*intercessisse festa: alterum Tabernaculorum cap. 7. v. 2. & alterum Encensiorum cap. 10. v. 22. manifestè apparet. Sic quatuor Paschata à Iohanne Evangelista numerata sunt, & non tria, ut Ireneus putat; & ita Christus triennium in ministerio fuit, & quartum annum incepit, sed non complevit: unde Nicephorus inquit: nondum implevit totum quadriennium. Hoc convenire voluit Lutherus & alij cum Prophetia Danielis cap. 9. v. 27. Corroboravit quidem fœdus multis septimana una: sed in medio septimanæ ipsius abolebit sacrificium & munus. Mittimus verò hæc, & ad alia nos conferimus.*

### CAP. III.

XII. Sequitur nunc tertium caput, quod de causa agit impellente. Christus ministerium subivit quatuor ob causas, primò, ut voluntati Patris sui satisfaceret: Secundò, ut Propheiam impleret: Tertio, ut doctrinam propagaret, & errores adimere: quarto, ut nos deliberatione & redemptione certos faceret.

XIII. Voluntas Patris ex Evangelio innotescit, tum quid de nobis, quod ad salutem æternam attinet, in æterno consilio suo decreverit, tum quid Christum præstare voluerit, nempe, ut doceret, & Evangelium de clementia & misericordia Patris cœlestis erga genus humanum, miseris mortalibus, iræ DEI perterritis, & mole peccatorum à maledictione Legis oppressis prædicaret, illosq; in ultimo die suscitaret, tum quid à nobis requirat, nempe, ut resipiscamus, & credamus in Christum. Iob. 6. v. 38. 39. & 40. Matth. 3. v. 2. Mar. 1. v. 15. Rectè ergò ex his concludi potest, quòd Christus volente DEO Patre ministerio functus est.

XIV. Deinde etiam opus erat, ut ministerium Christus ingrederetur, respectu Prophetiæ. Nam ita Prophetæ Esaias de illo vaticinatus est, c. 61, 1. Spiritus Domini Jehovæ super me, eò, quòd iunxit Jehova me ad evangelizandum, misit me ad obligandum fractos animos, ad proclamandum captivis



libertatem, & unctis aperturam ergastuli. Cum autem a Spiritu sancto Christus impelleretur, ministerio praesuit, quo varicinium hoc ab Esaia dictum impleret, quando quidem ipse non ad destruendam Legem & Prophetas, sed ad implendam venit. Matt. 5. v. 17. Hinc Christus, facilius esse, inquit, caelum & terram praeterire, quam Legis unum apicem excidere. Luc. 16. 17. XVII. Tertio Christus ministerium suscepit, ut doctrinam propagaret, & populum ab illo errore, in quem inciderat, abduceret: partim quem de Iohanne Baptista coeperat; partim quem ex falsa doctrina interpretatione a Scribis & Phariseis prolata, hauserat: XVI. Quarto ministerio fungi voluit respectu nostri. Ut enim propter humanum genus natus, propter peccata nostra mortuus, & propter iustitiam nostram resuscitatus est: sic quoque propter nos ministerium suscepit, quod certi essemus de liberatione nostraque redemptione. quandoquidem filius hominis non venit, ut sibi ministraretur, sed ut ipse ministraret, ac daret animam suam redemptionem pro multis. Marci 10. v. 45. Christus enim ministrando nobis salutem adeptus est: quare venit Christus ad ministrandum nobis, hoc est, ad salutem perditam iterum reparandam.

#### CAP. IV.

XVII. In quarto hoc capite finis nobis est declarandus, cur Christus tali ministerio sic functus. Hoc sine tres praecipue indicantur rationes, prima est ratio instituendi discipulos. Secunda ratio operandi in ministris. Tertia ratio praecundi alijs bonis exemplis.

XVIII. Ac primum quidem multa Christus cum in officio esset, discipulis suis est locutus, quae mente percipere non potuerunt, ut Ioh. 16. v. 8. ipsi fatentur. Quid hoc est, ajunt, quod dicit, nescimus quid loquatur. Hic nobis diligenter humane mentis imbecillitas observanda.



est, quàm cœca ista sit in subtilissimis istis fidei mysterijs, de quibus nihil certi iudicat, neq; ea intelligere humana valet ratio. Vnde 1. Cor. 2. v. 14. Animalis homo dicitur, non esse capax eorum, quæ sunt Spiritus DEI: sunt enim stultitia, nec potest ea cognoscere, quia spiritualiter dijudicantur. Talibus perfectis donis etiam discipuli caruerunt, quapropter Christi (qui tum temporis visibiliter in terra cum istis versabatur) instructione opus habuerunt, donec Spiritus sanctus mitteretur ad illuminandos istos.

XIX. Deinde etiam ratione operandi in ministris Christus ministerio præerat. Non tantum magna ista opera in hoc mundo edita (quibus clarescebat) sufficere Christo videbantur: sed etiam, post gloriosam ascensionem, cum huic valedixisset mundo, istis miraculis, quæ per discipulos suos operabatur, clarescere volebat. Nam multa Apostoli in ministerio ediderunt miracula, quæ minime virtutibus suis proprijs aut humane industrie, sed divina bonitati & potentia attribuerunt; quæ idonei sunt redditus ad explicandum & docendum Evangelium, & ad edenda tanta miracula, uti in Marco 16. v. ult. extat. Verum enim verò hoc non solum tempore Apostolorum accidit; sed etiam nostro tempore verbi ministris quotidie id evenit, ut Christus illis adsit & per Spiritum sanctum operetur, juxta suam promissionem Matth. 28. v. 20. Ecce ego vobiscum sum, usque ad consummationem seculi.

XX. Tertio Christus ministerium ingrediebatur ratione præeundi alijs bonis exemplis. Quatuor præcipue exemplis nobis Christus præiit, Primò candidus & verus fuit in docendo, quia vitæ æternæ verba habuit, Iob. 6. v. 68. & veritatem docuit, Iob. 18. v. 37. Huic veritati est & nobis studendum sedulo. 1. Quia mandata est nobis à DEO. Zach. 8. v. 18. Loquimini veritatem. 2. Quia ea præcipue sumus similes DEO, qui veracissimus, imò



imò veritas ipsa est, Ioh. 14. v. 6. Ego sum via & veritas & vita. 3. Quia illius exemplo nobis Christus præivit, Iohan. 7. v. 7. propterea testatus est de mundo, opera ejus mala esse. 4. Quia ad eandem alij quoq; p̄y exemplo nos sus invitant. 5. Quia testimonium est vere ingenuitatis, quæ lucem amat, ac nequaquam reformidat, Ioh. 3. v. 21. Qui dat operam veritati, venit ad lucem, ut manifesta fiant opera ipsius, quòd secundum DEUM facta fuerint. Vnde veritas ministris est examen doctrinarum & sententiarum humanarum, ut in omnibus disciplinis, ita imprimis in religione, ut illæ probentur ad Canonem Iudicis & Legislatoris nostri DEI; ne aliquid addatur & auferatur. II. Constans fuit in confitendo, quia coram Iudæis suam doctrinam constanter confessus est, Ioh. 8. v. 51. In hoc quoq; Christum nos imitari debemus, quando confessio religionis postulatur, necessario est edenda, sive amici sint, sive hostes, qui eam postulant. III. Fuit justus in vivendo. Idem nos amplectemur, ne alijs scandala præbeamus, sed pie & justè vivere studeamus. IV. Deniq; humilis fuit in ministrando, Ioh. 13. v. 4. Huc exemplo est nobis incumbendum studiosè, ut eodem modo Christi simus imitatores. Ecce enim omnium rerum creatorem, cui totus orbis administrare debuit, is nobis administravit: O rem mirabilem, suavem, dulcem! Quid ergo erubescimus? si Christis non erubuit, cuius imitatores esse debemus, licet non in singulis, tamen humilitatem ejus imitari maxime studeamus. Nam nos non volumus Christum ita imitari, ut non simul eum admirari velimus: Imitemur enim Christum, ut discipuli magistrum, ut servi dominum, ut homines DEUM, non perfectè, sed pro modulo nostro, ut Nazianz. innuit.

CAP. V.

XXI. Effectum ministerij Christi ultimò considerare nobis restat, qui sanando & miracula edendo continetur.



XXII. *Christus in Scriptura verus nominatur medicus, qui non otiosus in ministerio sedet, sed hominum animas per Evangelium curavit, & istorum vulnera à Diabolo in lapsu nostrorum primorum parentum inflicta sanavit.*

XXIII. *Hec sanatio consistit in remissione peccatorum, quæ effectus est doctrinæ, uti Matth. 9. v. 2. videndum: ibi paralyticum non solum à morbo externo, sed etiam à morbo interno liberavit & integram sanitatem tum corporis quam animæ ipsi restituit.*


XXIV. *Deinde etiam doctrinam suam in ministerio confirmavit miraculis, ut tanquam sigilla essent doctrinæ & fidei. Nam quatuor ob causas Christus miracula in ministerio operatus est. 1. Ut demonstraret se esse verum Messiam à Patre in hunc mundum missum. 2. Ut probaret, se verum esse DEVM, ejusdemque essentia cum DEO Patre & Spiritu sancto. 3. Ut comprobaret, sibi datam esse potestatem remittendi peccata. 4. Ut declararet, quæ beneficia corporalia & spiritualia nobis ipse largiatur & donet. Atque sic finimus hanc dissertationem, Christumque summum Doctorem, qui ministerium ingressus est, & locum de pœnitentiâ docere incepit, rogamus, ut nobis novam det obedientiam, & juxta suam voluntatem vivere. Concedat quoque benignissimus Dominus, ut maxima pars ministrorum & verbi divini concionatorum sit, qui regnum suum magno usu & fructu ædificent ac propagent, quo numerus Christianorum accrescat ad nominis sui gloriam & ad hominum salutem. Amen.*

**F I N I S.**














B.I.G.

Farbkarte #13

|      |      |       |        |     |         |       |         |       |
|------|------|-------|--------|-----|---------|-------|---------|-------|
| Blue | Cyan | Green | Yellow | Red | Magenta | White | 3/Color | Black |
|------|------|-------|--------|-----|---------|-------|---------|-------|

LOGIAS SACRÆ  
 o Trigesima Tertia,  
 De  
**MINISTERII**  
 ET  
**STI CURRICULO,**  
*Quam*  
*ente Θεολογικῆ*  
 PRÆSIDIO  
**ASARIS MEISNERI**  
 Theol. D. & P. P.  
*collegio ad disputandum*  
*proponit*  
**S LINDEMANNUS**  
 Lubecensis.  
*diem 7. Novemb. horis pome-*  
*ridianis*  
 aditorio minori.  
**TEBERGÆ**  
*Gorman excudebat,*  
 o cl. b. CXIX.